

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Bona Verba, Quibus Festo Nuptiali**

**Portzel, Jacob**

**Durlaci, 1706**

[urn:nbn:de:bsz:31-2069](#)

BONA VERBA,  
*Quibus*  
**FESTO NUPTIALI  
 VIRI**  
 Admodum Reverendi atq; Doctissimi  
**DOMINI**  
**CONRADI BUR-  
 CARDI VVEININ-  
 GERI,**


*Serenissimi Principis ac Domini,  
 DOMINI FRIDERICI MAGNI,  
 Marchionis Badensis & Hachbergensis &c.  
 DIACONI AULICI,*

*Nec non*  
**VIRGINIS**  
 Nobilissimæ atq; Ornatissimæ  
**ELISABETHÆ MAR-  
 GARETHÆ EBERLINÆ,**  
*amicitiæ, gratitudinis & observantiæ ergo  
 applaudere voluit*  
**M. JACOBUS PORTZELIUS.**

---

Durlaci, Literis Theodori Hechtii, Typ. Aul. Anno 1706.

\*\*\* (o) \*\*\*



In Dicitur deus deus et dominus

DOMINI

CONRADI BUR

-INN- C

**M**usa blanda, Musa casta,  
Ætheris proles benigni,  
Non levem secuta thyrsum,  
Pegasique fabulosos  
Vel volatus vel liquores,  
Sed Sionis rupe lapsa,  
Spiritu fœcunda puro,

Dic amores, dic favores, prome læta jubila.

Cernis, ut Germen Virorum,  
Quos Dei cœtus celebrat,  
Quos probavit ipsa Virtus,  
Quos in altis scripsit astris  
Grata fama, laus perennis,  
Vinculis, quæ Principalis  
Dextra nexuit, ligetur.

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Cernis, ut Virgo tenella,  
Lilium candore vincens,  
Et meras roseis labellis  
Gratias Veneresq; spirans,  
Sed magis decora dote  
Mentis egregiæ, jugalem  
Jam thorum properet subire.

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Advo-

z

—•—(o)•—

Advolat sanctus Cupido,  
Non Cupido, qui furoris  
Ignibus male sana corda  
Dira ceu lues pererrat;  
Sed Cupido, quem Jehova  
Incolis horti beati  
Innocens dedit levamen.

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Ecce corda colliquecunt,  
Lenibus subacta flammis.  
Ecce connivent ocelli,  
Mutuorum feciales  
Cùm favorum tūm dolorum.  
Ecce juncta dextra dextræ  
Vota jungit, fata jungit.

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Ridet Eusebie, pudico  
Ora suffundens rubore,  
Dum suo videt Ministro  
Tanta dona destinata,  
Quanta tetrici Catones,  
Irrita salacitate  
In suis optent latebris.

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Prome plausus, blanda Musa.  
Concinit tibi ripa Pfinci.  
Concinunt tibi mille voces,  
Mille vota gratulantum.  
Concinunt tibi sacra templa,  
Quæ diserta lingua Sponsi  
Dulcibus replet loquelis

Ergo, Musa, dic amores, prome læta jubila.

Sed file, tandemque fini,  
Blanda Musa: non loquace  
Hac aguntur sacra cantu.

En

...¶¶(o)¶¶...

En tuas non audit ultra  
Sponsus atque Sponsa nugas.  
En sui sibi queruntur  
Eripi fructum diei.  
Ergo, blanda Musa, fini vota, cantus, jubila,

Illud adde; nam licebit:  
Sint amores hi beati  
Numinis nutu supremi,  
Cordis unitate bini,  
Mutui fructu favoris,  
Omnibusq; rebus illis  
Quæ parant vitam quietam!  
Musa fini, Numen audi, Nuptiæ sint prosperæ.

